J. CASPERII NOVOMONTANI SOTERIA AUGUSTALIA

Johannes Casperius Novomontanus

J. CASPERII NOVOMONTANI

SOTERIA AUGUSTALIA.



VINDOBONÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AULÆ TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ.

MDCCLXVII.

AUGUSTÆ

MARIÆ THERESIÆ

GERMANICÆ. PANNONICÆ. BOJOHEMICÆ. DACICÆ.

NORICÆ. BELGICÆ. ILLYRICÆ.

MAXIMÆ. PIÆ. FELICI.

MATRI. PATRIÆ.

STUDIORUM. PATRONAÆ.

J. CASPERIUS NOVOMONTANUS.

M. P.

D. N. M. Q. E.



SOTERIA AUGUSTALIA

DITHYRAMBUS.

Audite Cœli, quæ loquor. Audiat terra verba oris mei. DEUTERON. CAP. XXXII. V. I. & *ſeqq.*



O Cœli! o orbes inclyti!

O Aſtra immenſum diſſita!

O inane haud veſtigabile!

O dux, Arctos, tutiſſime!

Fulgidumque Orionis jubar!

Et tu polos Galaxia,

Cingens Junonis nectare! *

Tu quoque ſplendentiſſima

Corporibus regio carens! **

Et peregrè qui acceditis,

Horrendo nobis ſyrmate

Conſpicui, Cometæ!

Quem mei nuntium gaudii

Cœleſtibus legabo?

Pulcerrimumne Sirium,

Qui nobis fertur proximus?

Aſt, cur tantis disjungimur

Spatiis? cur facere eſt nefas,

Optare quod nobis licet?

Amabilisne inſania

Me ludit? cupidumque ſurſum

In cœlos me furor trahit?

Mortalis! ne tentes grandia,

Sortis haud immemor tuæ.

Alme, decus ſummum Mundi, Sol, atque Venuſtas,

Lumine qui cuncta illuſtras, cæcasque tenebras
Diſpellis, gratoque foves qui cuncta calore:
Sublimi in ſolio tibi ſedes aurea, Molem
Corpoream hinc agitas, urgesque, & ſegnia tardum
Torporem poſuiſſe doces. Tu cuncta colore
Tingis, & in plures per te lux inclyta formas
Vertitur. Aſt ſocii, qui ſunt? quos cernimus, Helie,
Aethera oberrantes, & miro te ordine circum
Se parili in gyrum vi, conatuque librantes?
Et nimia tu luce oculis impervie noſtris

Maja

Maja nate, pusilla mole, & Nuntie divum.
Tuque diem, noctemque ferens formosa Diones
Proles. Atque etiam, quæ menstrua tempora signas,
Non interrupto cursu fidissima nobis
Ancilla, & plures assumens provida formas.
Tuque ades, o tetro, tristis Mars, lumine gentes
Terrens. Tuque alios, Saturnie maxime, vincens.
Tuque gradu lentus, patrio quàm proxime Cœlo,
Pęne oculos hominum fugiens pallore, situque.
Et tu Vesta parens, viventum prodiga nutrix;

**

Quemque juvat terram sævo pulsare tridente;
Et quem omnes spirant, adsis, circumfluus æther!
Vos quoque Mortales, divinæ mentis imago,
Aemula naturæ, & summis gens nata gerendis.
Quæ loquor, audite, & vocem sustollite, toto
Gutture clamate, & resonent præconia, laudes
Supremi, quod cuncta creavit Numinis. Omnem
Hic rerum eximio sapiens regit ordine molem.
Audistis? Cœli AUGUSTA est jam munere SOSPES

Nunc, vos Austriades pedibus citatis

Currite ad aras pueri, & puellæ,
Advenæ, Cives; undique laudes
Perſtrepent, læto pectora ſenſu
Exſultent; grata lumina flamma
Scintillent; repleat fora, compitaque
Lætitia, & tota perſonet urbe.
Erige inacceſſo merſus caput antro
Iſter algoſum, nuntiumque lætum
Perfer Pannonias properus per oras.
Vos quoque *** Cetiades crotala mobili

Palma ſuccutite. Hic Satyri ſalaces
Jactitent Thyrſos, curſitent petulci,
Evohe clamantes, dubio pede, Fauni.
AUGUSTA es SOSPES! Populi ſpes unica! Tecum,
O Domina! ad vitam revocamur: lumina moeſtas
Non fundant lacrymas: moeror, ſuſpiria ceſſent.
Vosque renidenti ſuccedite gaudia vultu.
Horrida tu procul hinc Eris eſto; tuque faceſſe,
Fatales clavos geſtans, Imarmena; tuque
Triſtis moeſtities, contracta fronte, recede.

Aſt tu, diva Ceres, & pleno copia cornu,
Veſtras ſpargite opes, robigo peſſima cedat.
Vos caſtæ Veneres, Riſusque, Jocique dolentū
Exhilarate animos. Ceſſet funeſtus amaror
Curarum, veſtro conſperſus melle, ſorores,
Delicium noſtrum Charites, Jovis unica cura:
Promite Pierides, ultro numerosque melosque:
Artes AUGUSTÆ Pietas regit, atque tuetur.
Tuque, Sophia, Dei munus, tuque unica norma,
Haud animus deſit, ſociamque, ducemque videbis

AUGUSTAM. Tunc corda reges, lumenque ſupernum
Infundes animis, homines façiesque beatos.
Tu cuicunque, Dice, dabis æquo pondere, quod par:
Tuque Themis, rectis quæ frenas legibus orbem,
Pellas, Diva, foro reſonantia jurgia vafro.
Et tu, præcipuum, quod præbent Numina, donum
Advenias redimita oleas Irena virentes.
Eja igitur populi clamate, & dicite: rerum
Conditor, o Bonitas, renuens agnoſcere fines,
AUGUSTAM, Auſtriacumque genus Pater optime ſerva.

Et vos ſupremum alloquar
Agreſtes, Civium columen,
Hominumque altores optimi!
Surgite, & inflate fiſtulas:
Balent ad ſonitum greges:
Agni, & Capellæ ſaltitent,
Et lætum reboet nemus.
Et vos garritu aviculæ
Dulces concentus edite,
Sertaque nectite flores.

Leniter auræ ſibilent,

Rivi molliter undulent.

Abſint pruina, & grandines,

Florida ſuccedat ſeges.

SOSPES AUGUSTA eſt.



EXPLICATIO LITTERÆ INITIALIS.

Angelus hic ὀλεθρεύων dicitur in LXX. versione *Exodi c. 12. v. 23.*, & a Divo Paulo *I. ad Corinthios c. X. v. 10.* ὀλοθρευτὴς, sive *exterminator:* Inscriptio: *Ero mors tua, o Mors!* sumta est ex *Osee c.* XIII. *v. 14.*

NOTATIONES.

* Nec mihi celanda est fama vulgata vetusta
Fabula, de niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginæ divum, cœlumque colore
Infecisse suo. Quapropter lacteus orbis
Dicitur - - - *Manilius Astronomico L. 1. v. 748. seqq.*

Hisce superaddit Macrobius *in somnium Scipionis*, Jovem, Herculem immortalem efficere cupientem, recens natum infantem dormientis Junonis uberibus admovisse, qui, quum copiosius lac exprimeret, illud in viam lacteam conversum esse.

** Spatium inter Saturnum & Sirium nullas Stellas fixas habet, nec Soles. Lucidissimum tamen est, fere ut Moses lucem ante Solem conditam esse ait. *Halley* apud Maupertuis *T. 1. p. 169. de la Figure des Astres*, & Colonne *Histoire Naturelle T. 1. p. 100.*

*** Nymphæ montis Cetii prope Vindobonam.